

## Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 183. Quinam in specie sint Judices in causa Hæresis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](#)

## C A P U T III.

De Judice in causa Hæresis modōque  
procedendi in ea.

Quæst. 182. An & qualiter nullus Lai-  
cus, sed solus Ecclesiasticus possit  
Judex in causis fidei?

1. Esp. Primo: In causis fidei nullus Lai-  
cus seu secularis esse potest Judex,  
neque incidenter neque principaliter,  
etiam dum est sola quæstio facta, ita  
cum communi & hodiendum certa juxta textum clara-  
rum C. ut inquisitio. §. prohibemus. b. t. in 6.  
Gloss. ibidem. v. prohibemus. Barbos ibidem. n. 7.  
Farin. tral. de Heret. q. 186. à n. 152. Delben.  
di immunitate & jurisd. Ecclesiast. c. 16. du. 22.  
Pith. b. t. n. 126. de Ecclesiasticis enim negotiis  
(quale est causa fidei) sola potestas Ecclesiastica  
cognoscit, & judicat, juxta C. decernimus & C.  
quanto de judicis. C. si Judex de Sentent. excomm.  
n. 6. cumque Quæstio facta Hæresis à Quæstione  
juris via separari possit (ut dum v. g. quis ob  
verba & signa externa Hæresis arguitur, necessariò  
investigandum, an scienter vel ignoranter, an ex  
joco, simplicitate, vel num serio & ex malitia, an  
relativè vel ex proprio sensu ea protulerit, & con-  
sequenter num poenæ Hæreticis statutas incurrit)  
judicium & cognitionem ecclesiasticam effugere  
non poterit. unde

2. Relp. Secundo: Principes, aliæve Potesta-  
tes & Judices Sæculares nullatenus de criminis  
Hæresis cognoscere & judicare, multoq; minùs  
Judicibus de eo tractantibus resistere possunt. Sed  
solū requisiti ab iis possunt, ac tenentur sub ex-  
communicatione habere se auxiliariter & executivè,  
assistendo Episcopis Inquisitoribus, dum hi contra  
Hæreticos inquirunt & procedunt, poenâque  
etiam mortis ab iis impositam statim, id est, fal-  
tem intra sex dies, juxta rescriptum Innocentii VIII.  
incipiens: *Dilectus Filius, ut referunt Farin, Penia,*  
Castrop. mox citandi, sine ulla recusatione & cun-  
tatione exequendo, sed neque differendo sub præ-  
textu, quod debeant prius videre processum à Ju-  
dice Ecclesiastico factum, an sit ritè formatus, vel  
an sententia sit justa, cùm nulla ratione prætendere  
possint videre & lustrare processum; quin et, si id  
petat, debeat Judex Ecclesiasticus negare. Castrop.  
tr. 4. d. 8. p. 14. n. 5. Farin. l. c. q. 186. à n. 165.  
dicens sententiam contrariam communi peritorum  
consensu & usu explosam & rejectam. arg. cap. in-  
quisitionis. §. utque. de Heret. quibus tamen non ob-  
stantibus, si Judex Laicus Hæreticum sibi traditum  
evidenter sine ulla tergiverratione aliove processus  
examine cognoscat innocentem, utpote falsis te-  
stibus condemnatum à Judice Ecclesiastico, vel  
sententiam nulliter, nimirū à Judice incompetente,  
vel non servato juris ordine latam, poterit ac de-  
bet Judex secularis ab executione abstinere, eam-  
que differre, secus, si malitia vel nullitas commissa  
non sit clara & aperta, sed altiore examine egeat,  
tunc enim absque dubio tenetur sententiam latam  
exequi, cùm ipse examine processum, aut præ-  
textu injuste condemnationis executionem differre  
non possit, sed neque dictis obstat, quod minùs po-  
testates sœculares, etiam non requisita, suspectos  
de Hæresi, capere & detinere possint, adhoc, ut

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

competenti Judici Ecclesiastico tradant. Farin. l. c.  
num. 158. Clar. de Heret. n. 4. cùm hac ratione  
non intromittant se in judicaturam, neque impe-  
diant, sed potius debite juvent ad coercendos &  
puniendos Hæreticos. Ut nec, quod statuta &  
leges ferant, quibus processus contra Hæreticos  
promoveantur, & poenæ contra eos à SS. Canoni-  
bus statuta firmantur, quamvis statuta, quibus  
negotium inquisitionis contra Hæreticos impedia-  
tur aut retardetur, condere nequeant.

Quæst. 183. Quinam in specie sint Judi-  
ces in causa Hæresis?

1. Esp. Primo: Papam esse supremum in causis  
fidei cognoscendis, dijudicandis & punien-  
dis Judicem, à quo omnis aliorum Judicium or-  
dinariorum potestas & jurisdictio originatur & de-  
pendet, certa fides est. Farin. cit. q. 186. §. 1. n. 1.  
Castrop. tr. 4. s. 7. p. 12. §. 1. n. 1. Solusque ju-  
dicare & dignoscere infallibiliter potest, an dogma  
aliud sit Hæreticum, an non, Pith. b. t. n. 123.  
Legatus verò illius à latere seu Cardinalis, et si de  
jure communi sit quoque Judex competens cogni-  
tionis in causa hæresis (intellige non quidem, num  
tale dogma, quod quis sectatur, sit Hæreticum,  
sed num sectetur dogma, quod habetur Hæreti-  
cum) possit illud punire, quia in hoc plenissi-  
mè vices Pontificis gerit, ex consuetudine tamen,  
sine speciali commissione Papæ, vel supremi tri-  
bunalis inquisitionis id potest. Farin. l. c. n. 4. Ca-  
strop. Pith. II. cit.

2. Relp. Secundo: Episcopus est Judex compe-  
tens & ordinarius ratione officii sui omnium Hæ-  
reticorum suæ diœcesis sibi subditorum, sive cle-  
rici, sive laici sint. Clem. I. b. t. 6. proper quod.  
Host. in C. ad abolendam, b. t. v. singuli Episcopi, Ab-  
bates. ibid. n. 3. Jo-And. num. 3. Farin. l. c. n. 1.  
Azor. p. 1. l. 8. C. c. 7. q. 8. Castrop. l. c. num. 2.  
Pith. b. t. n. 124. ex ea ratione, quia propriè spe-  
ctat ad Episcopum, exsirpare Hæreses & arcere  
lupos ab ovili suo. Respectu tamen exemptorum  
à jurisdictione sua probabilius est, non esse ordi-  
narium, sed delegatum, ut exprestè decisum vi-  
detur in C. ad abolendam, b. t. 8. si qui verò, prout  
cum Gloss. ibidem notant Abb. Farin. Jo-And.  
alioquin communiter & absolute tenent, Farin. l. c.  
num. 7. Sanch. tral. de Heret. c. 8. n. 3. Simanc.  
Cathol. ins. tit. 25. rub. de Episcopis. n. 6. Decian.  
tral. crim. I. s. c. 21. n. 4. & alii. quos citat &  
sequitur Castrop. l. o. contra Host. in C. ad abo-  
lendam. n. 13. quia tamen haec delegatio respectu  
exemptorum facta jure communi Episcopis, non  
ratione persona, sed ratione dignitatis Episcopalis,  
adeoque & successoribus illorum in ea, ideo  
æquiparatur jurisdictioni ordinariæ, ut potius or-  
dinaria, quam delegata censenda sit, quamvis  
quod ad appellationem sortiatur naturam jurisdictio-  
nis delegata, ita ut à sententia Episcopi lata  
in causa Hæresis in exemptos appellari debeat, non  
ad Metropolitanum sed ad Papam delegantem, ita  
Castrop. l. c. Pith. num. 124. Modus verò pro-  
cedendi, quem in criminis Hæresis observare de-  
bet Episcopus, idem est cum eo, quem servant

Inquisitores, juxta C. per hoc, §. fin. h. t. in 6. Idque, sive ordinaria, sive delegata Episcopi potestate procedant. Farin. l. c. Castrop. num. 3. & quantum quidem de rigore juris est, non sine consensu capituli, secus, attenta consuetudine, Farin. l. c. n. 14. & 15. Castrop. l. c. de cetero. Vicarius Generalis Episcopi in causis Hæresis cognoscendi & judicandi caret potestate, nisi ad id speciale habeat mandatum à suo Episcopo, saltem sub clausula generali, v. g. hac: *Committimus & concedimus tibi omnia, quæ nos possumus, etiam illa, quæ spectale nostrum mandatum requirunt.* Imol. in Clem. I. b. t. n. 19. Farin. n. 13. Pirk. b. t. n. 24. *infine.*

3. Resp. Tertiò: Capitulum quoque Sede vacante, intelligendo hic nomine Sedis vacantis non solum, quando Sedes absolutè vacat, seu nullus existit Episcopus, sed quando Diœcesis ab Episcopo gubernari nequit, eo quod is sit captivus vel provisus de Episcopatu, non administraret ob non expeditas literas confirmationis, ut cum Gloss. in cit. Clem. I. v. vacante. Decian. l. c. n. 13. Farin. l. c. q. 179. Castrop. l. c. n. 5. est Judex Ordinarius in causis Hæresis; quia tota Jurisdictione ordinaria Episcopatus penes illud residet, constat ex cap. ad abolendam. b. t. Gloss. ibid. v. Clerici. & Abb. num. 4. Farin. n. 177. Simanc. Castrop. Pirk. ll. cit. Non tamen est Judex Ordinarius, neque etiam delegatus in exemptos, quia non succedit Episcopo in iis, quæ Episcopo competunt solo iure delegato: ita probabilius in cit. C. ad abolendam. Abb. num. 17. Anchor. num. 10. Card. & alii, item Farin. n. 182. Castrop. n. 6. Pirk. num. 125. Decian. num. 14. contra Socin. in idem c. num. 44. & alios, quorum sententiam fatis quoque probabilem dicit Castrop. exercere autem Jurisdictionem suam ordinariam circa non exemptos debet Capitulum Sede vacante, non per se ipsum, sed per Vicarium suum, arg. cit. Clem. I. §. propter. de Vitalin. ibidem num. 48. & 50. Farin. l. c. q. 86. num. 180. Castrop. num. 7. Ne alias causa non ita brevi tempore decidi possent & servari secretum. An autem Vicarius Capituli ab eo ad exercendam illius Jurisdictionem ordinariam generaliter deputatum, egeat in causis Hæresis speciali commissione capitulo, cum sit causa ardua & gravis, non ita certum. Affirmare id ipsum videat Castrop. l. c. dum inquit: *Modus, quem servat capitulum in exercenda hac Jurisdictione in causis Hæricalibus, non est per se, sed per Vicarium ad id specialiter deputatum.*

4. Resp. Quartò: Posse quoque Prælatos quosdam Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes esse Judices Ordinarios in causis fidei, cum Molin. de just. tract. 5. d. 28. num. 11. tradit Castrop. n. 6. *in fine.* Et in genere ex præscripta consuetudine posse Prælatos regulares in Germania suos subditos in causa Hæresis judicare, & pœnis juris afficere, dum regulares Apostatae Hæresim amplexi revertuntur aut capiuntur citra intraventum Episcoporum, testatur Reiffenst. b. t. n. 438.

*Quæst. 184. Inquisitores fiduciari, unde & qualiter, in quibus causis, & respectu quorum, & an vices suas committere possunt alii & adjungere alios in consilium, sunt Judices?*

1. Resp. Primo: Dum tempore Innocent. III. Albigenium potissimum errores, hæresesque aliae multum ingraescerent & graflarentur, neque ad eas opprimendas & extirpandas labor & vi-

gilantia specialiter ad hoc ab eodem Pontifice ex ordine potissimum Cisterciensium electorum Abbatum scientia & virtute insignium needum sufficeret videretur, Dominicus Ordinis Prædicatorum Fundator pro suo erga Hæreses odio & fidei Catholica zelo ab eodem Pontifice obtinuit, ut contra quoscunque de Hæresi suspectos singulatis fieret inquisitio, instituereturque processus judicarius, in quo judicialiter confessi vel convicti gravissime punirentur, unde initium sumisit S. Inquisitionis officium contra Hæreticam pravitatem, in quo S. Dominicus primus constitutus Inquisitor generalis & post illum alii ejusdem Ordinis Alumni, quibus dein substituti & subordinati fuere alii Inquisitores inferiores & locales in diversis provinciis & Diœcesis, præfertim Italiæ & Hispaniæ, ita ut ibidem in singulis ferè diœcesis adsit officium S. Inquisitionis, & Inquisitores contra Hæreticam pravitatem, qui hodie sunt S. Congregationi Cardinalium universalis Inquisitionis, vel S. Officii, subiecti, quam, dum Papa cerneret invalescere noviter Hæreses Lutheranæ & Calvinisticæ, ad officium S. Inquisitionis ubique majori cum fructu & exactius exercendam instituit anno 1542. de qua vide Card. de Luca in Relat. Curia Rom. discursu 14. à n. 2.

2. Resp. Secundò: Inquisitores omnes tam inferiores & locales quam generalis & supremus sunt veri Judices Hæreticorum in suo districtu, provincia aut diœcesi, ut habet communis & certa, arg. C. ut officium. b. t. in 6. eorum quoque manus præstant Episcopi in Provinциis, in quibus Inquisitores Apostolici speciali Authoritate Rom. Pontificis non sunt constituti, ut in Gallia, Germania, Polonia, ut notant Azor. p. 1. l. 8. c. 18. q. 2. Pirk.

3. Resp. Tertiò: Inquisitorum potestas & Jurisdictione non est ordinaria, sed delegata à Sede Apostolica, pro ut dicitur c. 10. b. t. in 6. Officium Inquisitionis Hæreticae pravitatis à Sede Apostolica commissum. ibidem. Franc. Sylv. v. Hæresis. 2. q. 1. Azot. l. c. Farin. de Hæresi. q. 186. n. 39. Eymet. p. 3. director. quæst. 4. comm. q. 3. Scacc. de Judic. c. 67. n. 5. Molin. de just. tr. 5. d. 28. n. 4. Castrop. tract. 4. d. 7. p. 12. § 2. n. 2. Pirk. b. t. n. 130. Quia, esto deputatus sit ad universitatem personarum, non tamen est constitutus ad universitatem causarum (quod requiritur, ut quis sit & dicatur Judex Ordinarius, sed tantum ad unam speciem causarum, nempe fidei, & quæ illi connexa sunt, non est nisi Judex delegatus. His tamen non obstantibus gaudent multis Privilegiis Jurisdictionis Ordinariae; dum v. g. vices suas committere possunt alii officium illorum non expiret in vita illius, qui eos deputavit. Propter quod agit Castrop. Officium Inquisitionis habere perfectiones jurisdictionis delegatae & ordinariae, sublati utriusque imperfectiōibus. Porro licet Inquisitores non semper à Sede Apostolica immediatè eligantur & constituuntur, sed etiam ab aliis ad id authoritatem à Sede Apostolica habentibus, v. g. à Cardinalibus S. Congregationis, S. Officii Inquisitionis, Generalibus & Provincialibus Ordinum, qualiter hoc Privilegium eligendi & constituendi aliquos ex suis Ordinibus Inquisitores impetrarunt Dominicani & Franciscani à tempore Innoc. IV. & Clem. IV. vel à generali Inquisitore, semper tamen censeri debent delegati Sedis, & ab ea habere immediate authoritatem, ita ut non sint subdelegati Sedis Apostolicæ, & quamvis tales particulares Inquisitores à generali Inquisitore dependent, non tamen sint illius subdelegati. Ita Molin.